

Z 6
730



F. 12. 54.

IV, 266. -

UNIVERSITÄTS- und
LANDESBIBLIOTHEK
SACHSEN-ANHALT
MAGDEBURG



MEMORIA
VIRI
MAGNIFICI SVMME REVERENDI
D. IOANNIS AVGVSTI
ERNESTI

DOMINI HEREDITARII IN KAHNSDORF
ET BIERSTEN

S. THEOL. PROF. PRIMARII CAPITVLARIS MISNENSIS
CONSISTORII LIPS. ADSESSORIS ALVMNOR. ELECTORAL
EPHORI ACADEMIAE DECEMVIRI NATIONIS MISN. ET
COLLEGII CONCION. LVNARIS SENIORIS SOCIETATIS
LITTER. IABLONOVIANAE PRAESIDIS ET SOCIET
SCIENT. GOTTINGENSIS SODALIS
RELL

COMMENDATA

AB

RECTORE
VNIVERSITATIS LITTERARVM
LIPSIENSIS



MEMORIA

VIRI

MAGNIFICI SVMMÆ REVERENDI

D. IOANNIS AUGUSTI
ERNESTI

DOMINI HEREDITARI IN KAHNSDORF
ET BIERSTEN

ET THEOL. PROF. PRIMARI CAPTIVARIS MIEMENSIS
CONSISTORII LIT. ADESSORIS ALAMOR RECTORAL
ET HON. ACADEMIÆ PROGRAMI NATIVOR. NASS. ET
COLLEGIJ CONCON. LYNARI SENIORIS SOCIETATIS
LITTE. IARLONGVIANÆ PRÆSIDIS ET SOCIJ
SIGNEI GOTTINGENSIS SOCIJ

1811

ELISEI, ET JOHANNIS

R E C T O R E

UNIVERSITATIS LITTERARVM

IPSSENSIS

UNIVERSITÄT
IPSSENSIS

Faint, mostly illegible text at the top of the page, likely bleed-through from the reverse side.



acturam fecit in ERNESTIO suo Academia
 nostra, qualem non vidiſtis, *Ciues*, nec viſuri
 eſtis; vt olim in Metello Roma, ipſo teſte ad-
 verſario, numquam maioris ciuiſ funus ſpectatura. Sed quid Aca-
 demiam tantum dico, quum vniuerſa Saxonia non minorem noſtra ſuam
 iacturam agnouerit? Nec vero intra huius fines conſtitit tanti damni
 dolor tantus, ſed omnem Germaniam occupauit, et porro, velut ex
 publica calamitate, totius orbis literati reſceſſus omnes penetrabit; pla-
 ne, vt, ſi cuius vniquam magni viri amiſſi, huius vtiq; luſtus ac de-
 ſiderium publicum ſit futurum, nec futurum modo, verum et manu-
 rum, dum verac doctrinae arq; elegantiae ſenſus, illo inprimis aucto-
 re inſtauratus, vigebit. Ita enim ille natus erat, ita educatus, ita inſtitu-
 tus, ita multo magis per ſe factus, diuinitus quidem, tanta meritorum et
 multitudi- et magnitudine conſpicuus, tanto diſcipulorum optime de omni

republica merentium coetu stipatus, tanto virorum summorum, etiam regum ac principum, fauore insignis, tanto denique opere cunctis celebratus, vt, si saeculis singulis plures ERNESTIO pares Academiae nostrae contingere potuerint, vltra conditionem rerum humanarum felix ea et beata censenda videatur.

Talem quidem et litteratorem et theologum ante haec duo saecula habere desimus cum Philippum Melancthonem, communem Germaniae praecceptorem, tum Ioachimum Camerarium, proprium Academiae nostrae lumen, suae scholae conditorem, qui et ipse per quadraginta amplius annos docendo scribendoque Lipsiam suam ornat. Multae apud nos viuo illo, multae mortuo, multorum varii generis scholae sunt conditae, sed vna cum auctoribus suis sepulchrae conticuerunt. At illius schola, quae solidiorem doctrinam cum bonis literis et subtiliori ratione coniungeret, etiam nunc non laudibus modo iustus floret, sed formulae quoque suae aenulos retinens, eo viuacior perstabit, quod per ERNESTIVM nostrum veluti postliminio reuocata reuixit. Nempe vir ille erat, caeteri a quibus infestaretur, quos multos expertus est, etiam discipulos, nullius numeri; illius memoriam omnis posteritas colit, horum nomina tantum fastis academicis inscripta in obscuro sunt; vt multorum Romae consulum nil aliud quam consulatu functorum.

Habet omnino hoc vniuersa natura, vt non nisi raro a legibus suis recedat, nec mensuram modumque rerum, ne corporearum quidem, in singulis generibus excedi saepius aut magnopere velit; immo ita constans est sui que retinens, vt, si quando in vtramlibet partem contra aliquid conspici voluerit, hoc ipso perpetuitatem suam certamque rerum normam demonstrasse videatur. Quod ita esse vel mortalitatis humanae diligentes speculatores agnoscant omnes. In tanta enim tamque infinita varietate, quae in corpus humanum cadat, sensuum, virium, conuenientiae partium, vniuersi habitus, lineamentorum ductus, vultus conformationis, vt alia taceam, tanta tamen similitudo eminet, qua coniungantur omnes omnino homines, vt vniuersae et certis numeris absolutae humanitatis veluti conspirationem atque concentum admirabundi notemus. Rare enim caeci nascuntur, nec multo saepius lyncei; raro pusilli, nec frequentius proceri; raro insigniter deformes, qui vere dici queant, vt Therfitis Homericus, nec minus raro pulchri, vt Nireus. Media fere, vt in hisce, ita in caeteris naturae generibus et mediocritia frequentantur, sed infinitis modis mixta illa e diuersis et temperata.

Idem fere sequuta inuenitur natura in effingenda vniuersa mente humana, ingenii que et animi dotibus distribuendis, vt raro vltra mediocritatem

tem adfurgi vellet. Pleraque enim ingenia destinavit singulis rerum, operum, munus generibus, iisque in omni vitae ratione tenuioribus. Sat multi, modo sequerentur vitae genus, cui essent a natura destinati, in eo que tantum industriae, quantum possent ac deberent, eadem natura comite, ponerent, sat multi, inquam, supererant, qui, in suo quisque genere, pro singulari quadam ac praecipua mentis indole, duces sese auctoresque aliis praefarent, proferendisque et amplificandis artis suae finibus vere prodessent. Hos quidem natura dicavit, non singulis muneribus, civitatibus, gentibus, sed uniuersae virtuti, doctrinae, humanitati donavit: non multos tamen, vel quod pauci sufficerent reliquis acendis, vel, quod arduum esset; vnde in tot pictoribus vnus Zeuxis, vnus emiuit Apelles, in tot statuariis Phidias, et Praxiteles. Neque eloquentiae sortem conditionemque aliam fuisse Cicero monet (Brut. cap. 49.) quum omnes ait cupisse dicere, non plurimos ausos esse, potuisse paucos (cf. cap. 78. init.). Tot ergo velut sidera praecedentia inter ignes minores, omnemque doctrinae ambitum illustrantia, quo minus exorirentur, praeter causas ante commemoratas, iniquitas temporum subinde offecit, inuidiae malignitas, institutorum peruersitas, morum leuitas, vitae remissioris segnities, morae denique ac taedii laborisque impatientia. Quae quidem impedimenta si quis arte ac ratione, quam coniungeret cum rara ingenii felicitate, omnia vel remouit, vel peruicic, vt bona sua quaquaersum promanarent, et ad omnes gentes a litteris non alienas redundarent, eum vero non in beneficiis naturae singularibus, non in virtutis doctrinaeque maximis exemplis numeremus? ei non vel praecipuum ius dicamus esse, praemiorum vndiquaque expectandorum? in eius morte, si vel maxime fera eum interceperit, privatam tantum iacturam, non publicam, eamque magnam agnoscamus ac lugeamus?

Agnoscimus vero nos et lugemus in ERNESTIO nostro maximam publicam iacturam: et ne leuiore aut hebetiores videamur, aut exteris et posteritati concedamus, nunc quidem omnia illa, et naturae, et vero etiam viri beati propria bona contemplando, ac veluti tabulam vitae praeclare actae, pulcherrimumque spectaculum, proponendo, animi nostri pietatem grati aduersus Deum, neque ingrati aduersus defunctum, aequo spectatori probabimus. Nam uniuersam illius vitam persequi, vberiusque exponere, integri libri, nec parui illius, opus et argumentum fuerit, quem ab eo scribi optabile est, qui magnitudinem et eloquentiam viri adsequi possit, vt Melanchthōnis vita parem scriptorem Camerarium est nacta.

Et ingenio quidem utebatur ille, non feruido aut vehementiori, ne magnopere quidem alacri, sed, leniori, sedatiori, mansuetiori, facilliori, eleganti tamen et acuto eodem, vtque vno verbo defungar, Ciceronis, quam



quam Demosthenis, similibus: quod aptum esset solidiori doctrinae vel percipiendae, vel edisserendae atque illustrandae, litteris vel maxime abstrusis et reconditis excutiendis ac rimandis, optimis artibus cognoscendis et exercendis, orationis denique flumini puro et leni fundendo, sed eidem omni ubertate copioso, et amoenitatum plenissimo. Iudicio autem valebat peracri, sed sedato et recto, quod aberrare illum a vero non facile pateretur, ut qui voluendo versandoque, quid inesset cuique rei, quid in ea ambiguum atque impeditum, quid cuique causae proprium, aut rursus ab ea alienum, cui quidque prodesset vsui, acute celeriterque intelligeret; quum praesertim subegisset ingenium infinita lectione, non intemperanti et cruda illa atque indigesta, sed, quam composuisset, finxisset ac regeter cogitatione adsidua, plurimo rerum vsu, docendi denique ac scribendi perpetua exercitatione; memoriam autem, cuius vigeret et tenacitate et facilitate ac celeritate egregia, adeo fidam sibi et officiosam, ac velut dicto audientem ac promptam reddidisset, ut ab ea temere destitueretur, essetque illa ei plurimorum instar thesaurorum, quales alii per otii abundantiam colligere, seriniisque suis, vnde sapiant, inferere consueverunt: nimirum quia omnia legebat cum sensu, notatione, et vsus varii destinatione ac velut repraesentatione. Animo denique eius nihil generosius, nihil sanctius, innocentius nihil erat. Contemptis voluptatibus sapere ausus fuerat, laborare didicerat, laborando professe publice priuatimque concupierat; nec vero id ad famam laudemque referebat, sed ad conscientiam recti, quem verum Dei cultum putaret. Sensus de religione, quos vel innatos vel informatos educationis beneficio concepisset, ratione duce, caelestis veritatis adiumento, inductione denique et aduetudine, ita auxerat, emendarat, corroborarat, ut pietate in Deum, rerum diuinarum studio, virtutis omnis amore et cura fideli ac simplici, omnia metiretur. Huic animo tam excelso idoneum natura domicilium dederat, corpus non exile illud et viribus debile, sed, in iusta statura eximiaque dignitate, firmum, vegetum, valetudine prospera ac fere inoffensa, quam ad septuagesimum vsque annum mira diligentia ac temperantia conseruauit. Inprimis fronte, quae mixtam hilaritate seueritatem, ac paene austeritatem, referret, animus patebat seriorum amans, amabilis ipse, sed multo amabilior propter humanitatem, facilitatem, etiam festiuitatem ac sales vere Tullianos, numquam a modestia ac prudentia alienos: quibus rebus effecit, ut summis, infimis, qui quidem saperent, gratissimus esset atque desideratissimus.

Tantae liberalitatis in ipsum expromptae atque effusae ne poeniteret naturam, summo studio adolescens adhuc prouidit. Quum scholam Portensem relinqueret, Schreberus, Rector, etiam de ipso optime meritus, ad eius fratrem scribens, a quo noster domum arcessebatur, inter alia, quae in ipsius laudem commemorabat eximia et praeclara, hoc quoque posuit: il-

le

le vero plures libros cognovit et legit, quam studiosorum quisquam, qui abitum ex Academiis parant. Ipse etiam saepe professus est, historiae litterariae et notitiam et amorem primum e Portensis bibliothecae usu, qui sibi liberrimus concessus fuisset, se conceptum duxisse, in eoque studio Freytagium sibi egregie profuisse. In Academia autem Vitembergenſi Io. Guil. Bergerus, quem humaniorum litterarum causa sectatus est, discipulum eum habuit, singularis industriae nomine, longe carissimum. Apud Wernsdorfium, Theologum acutum et elegantem, quum inter sermones priuatos aliquando de difficultatibus, quae legenti sibi epistolas Paulinas crebrae occurrerent, questus esset, hoc responsum tulit: intelligo te sapere. Nempe questus erat is, cuius commilitonibus, tantum non omnibus, libri N. T. pro ea, quae tum erat, vulgi opinione, facillimi esse videbantur. Horum nostri commilitonum vix quisquam, tantam veri acute videndi recteque interpretandi facultatem, philosophando et mathematicas disciplinas tractando erat adsequutus, et ad cognoscendos libros sacros attulerat, quantam ipse, qui etiam bonarum litterarum praefidiis esset instructus; adeo ille iam tum inter caeteros eminebat! Habuerat autem in philosophia duce[m] Schlofferum, formulae Wolfianae philosophum, sed praeter caeteros elegantem, e cuius scholis tantum philosophiae amorem imbiberat, vt Lipsiam delatus cum Gesnero, in priuata consuetudine, propemodum nil aliud, quam philosopharetur. Qui quum cognouisset et subtilitatem nostri et elegantiam, hortatus est eum atque impulit, vt matheſeos et philosophiae Initia latinitate donaret. Hauferat autem rerum mathematicarum scientiam non Vitembergae tantum e scholis Hafii, excellentissimi geometrae, sed etiam ex Hausenii nostratis: (quem vel ipse Kaestnerus ille praeceptorem sibi contigisse laetari solet). Eius frequentauit praelectiones de matheſi sublimiori, cum duobus tribusque commilitonibus, in quibus Hermannus erat, nunc in aula Dresdensi concionator primarius, Venerandus senex, quum caeteri sodales, qui ab initio scholarum amplius quadraginta erant, fuga moleſtiae ac difficultatis, vt fit, signa deseruissent. In theologia Boernerum ac Deylingium sequutus est; eloquentiae Germanicae praecepta tradentem audiuit Gottſchedium, qui tum in eo genere optimus ac paene vnicus habebatur. Hoc curriculum emensus est triennii spatio, cuius dimidium tamen hic Lipsiae ne totum quidem studiis suis impendere potuit, auocatus ac districtus liberorum Stigliciae domus institutione, quam prouinciam ille in itinere domum faciendo, transiens per hanc urbem, Freytagio suo ipsum commendante, suscepit. Adeo celeriter proficitur ab iis, qui bene praeparati, nec nimis iuuenes, ad Academicas doctrinas accedunt! Ad hoc vsque tempus cathedrae ecclesiasticae totum se destinauerat, quum ecce Stiglicus, praeclarus ingeniorum spectator, locum Conrectoris in schola Thomana ei offert, quem, diu cunctatus, agnuit tandem nutu diuino, alacriter sibi persequi plenus, adiit. Quae igitur studia

studia in subsidium tantum adhuc theologiae, ac velut ministros vsus, tractauisset, ea iam profiteri et propter se ipsa colere praecipua cura et opera, nouo isto vitae genere coegebatur. In hoc munere administrando, vtut iuuenis quatuor et viginti annorum, cui regendus esset coetus alumnorum, inter quos conspicerentur haud pauci, multo, quam ipse, aetate prouectiores, tamen, auxilio diuino confusus, prosperrimos successus habuit. Quae ille diuinæ prouidentiae documenta singularia, inter lacrymas infinitas praedicauit, quum ante hos tres et viginti annos, collegis coram et vniuerso coetu, moderamine et cura illius scholae sese abdicaret: quam quidem inde a Gesnero in Academiam Gotingensem discessu, summa omnium cum laude sustinuisset. Huic tanto viro, Gesnerum dico, annum ipse agens septimum et vicesimum successor tum datus fuerat, a patronis quidem sapientissimis, nec vlli sumptui, in arcessendis vel e longinquo viris doctis, quod et in Gesnero ante factum esset, parentibus. Sed enim cui rectius cura illa demandaretur, non erat; et ille per omnia doctrinam, industriam, prudentiam denique suam patronis, nominatim Stiglitio suo, abunde probauerat. Neque dedisse se nostro beneficium Stiglitius postea saepe dicebat, sed ab eo accepisse. Ita virtute duce, comite fortuna, immo diuino fauore, doctrina denique conciliatrice, adolescens consequutus est, quod non nisi a viris praestantissimis expeti posset. Ab hoc iam tempore fama et exultatio eius indies inualuit, non modo apud nostrates, sed inter externos etiam. Quam enim de se expectationem commouerat, eam, licet grauem saepe aduersariam, adolescenti vtique, ciq; feliciori, semper egregie non sustinuit modo, sed plane vicit. Editio quidem eius opera Cicerone, Oliuetus ille, Ciceronis editor et ipse doctissimus, et interpres elegantissimus, prior ad eum scripsit, nec quidquam iam non magni ab eo expectari fas esse pronunciauit. Similibus huic pluribus plurimorum de ipso iudicii adeo parum abusus est ad arrogantiam sumendam, vt incitamenta illa sibi subiceret ad industriae ac sollertiae progressum atque constantiam. Itaque praeter morem receptum, qui in schola senatoria docentibus aditum ad cathedram academicam eo tempore intercludebat, tulit noster etiam Patriae Parentis iudicium honorificentissimum, quum iuberetur ante hos vndequadraginta annos extra ordinem litteras humaniores iuuentutem academicam publice docere, cui priuatis praelectionibus tum philosophicis, tum antiquariis, tum denique philologicis iam per aliquot annos egregie profuisset. Tum vero maior indies ad eum multitudo confluere, siue historiam catholicam, Romanasque antiquitates enarraret, siue Graecos Latinosque auctores interpretaretur, noua quidem hos ratione, id est, ea, quae accommodata esset ad ostendendam et exponendam cogitandi subtilitatem, ad excitandum sensum vniuersae elegantiae, ad mentem rerum cognitione ditandam, ad animum denique virtutis amore imbuendum, postremo ad verum vsum docendum legitimae interpretationis sacrarum litterarum, quin

et

et legum ciuiliū, aliorumque librorum, quorum vera cognitio, verus vsus uerteretur in subtilitate interpretandi. Namque litterae humaniores, propter inficitiam aut peruerſitatem eas proſitentium, a philoſophiae, hiſtoriarum, optimarum denique artium cognitione alieniſſimae tum putabantur, quum ad ſyntaxin grammaticam, ad uocum formarumque dicendi commutationem, ad contortarum traiectionum ineptias, ad imitatiuncularum crepundia, ad orthographicas aliasque his ſimiles lites et minutias uulgo reuocarentur: quae quidem proſecto non poſſunt eſſe ingenii atque animi alimenta. Enimvero quum, quidquid Graecia Latiumque monumentorum tranſmiſit ad noſtram aetatem, plenius ac melius deinceps cognouiſſet, plane ut ſenſum atque ingenium uinque omnem ueterum ipſe adſumeret atque indueret; quum rei eccleſiaſticae accuratam cognitionem ex ipſis fontibus hauiſſet; quum denique philologiae ſacrae et interpretandorum librorum diuinorum ueram rationem, a Grotio praemonſtratam, priſcorum loquendi uſu notando, et LXX uirali uerſione comparanda, inire didiciſſet, doctiſſimis eccleſiae patribus, praecipue Graecis, in eo genere ducibus uſus, quid mirum, in theologicis cum et acutius uidere et rectius ſentire potuiſſet? quid mirum, ſi, quicumque deinceps aliquid feliciter et recte conati ſunt in libris ſacris interpretandis, auctorem illum ſui ſenſus et habuerunt et lubenter praedicauerunt? Tali autem conſenſu tantum non omnium doctriinae partium eſſe uere ſenſendum theologum ſibi perſuaſerat. Crediderat ſcilicet mature Philippo Melanchthoni, uel e poëtis ueteribus ſenſum ueri, etiam in theologia, petendum eſſe: qui quidem, auctore Victorigo Strigelio, *) dicere ſolebat: Poſt lectionem bibliorum nulla lectio uilior eſt, quam tragoediarum, Aeſchyli, Euripidis, Sophoclis et Senecae etc.

Hanc ille facultatem rei ſacrae uſum iuuandi, quod ab initio ſibi propoſitum habuiſſet, collectam tot annorum ſtudio, et philoſophiae inprimis ac bonarum artium intelligentia comparatam, in lucem tandem proferre deſtinauit, docendo ſcribendoque ea, quae ad libros ſacros, praecipue N. T. recte interpretandos pertinerent. In quo quum experiretur calumniam multorum, uerae laudis comitem, qui abſtinendum ei fuiſſet dicerent a rebus theologicis, quarum docendarum facultatem habere nullo modo poſſet, ut qui honores theologicos capeſſere non eſſet auſurus: non tamen a uero tramite deſlecti aut deiici ſe paſſus eſt, ſatis certus, qui ſuae ſcientiae conſidere poſſet, conſiliumque ſequeretur probum, ſimplex et ſalutare, quod neque alio modo eſſiceretur, neque ab aliis rite teneretur, eum uero curare talia dicta non debere, ne tempore ſuo infructuoſe abuteretur,

* 5

quod

*) in locis theologicis, quibus loci communes Phil. Melanchthonis illuſtrantur etc. Neap. Nem. 1582. 4. p. 27.

quod in sacrarum litterarum posset emolumentum conferre. Et edebat scripta varii generis, nullo non theologo orthodoxo dignissima: cuius rei, ex omnibus, vnum nunc nobis argumentum sit, quod Anti-Muratorius eius Catalogo librorum prohibitorum Romano insertus est: qui honos perisque eorum, qui vulgo sibi ipsi orthodoxi videntur, quod ab eorum scriptis non ita error sibi metuere debet, haud facile contingit. Ac ne quis hoc ita positum calumnietur, quod et in impie scriptis idem fiat, age, quis vquam heterodoxi quidquam in nostro notauit, aut ei obiecit, aut ab eo propositum ostendere potuit, atque adeo voluit? Quippe qui et contra se, eius sentientes veram formulam subinde subtiliter, sed modeste, vindicatum ierit, vt in Vindiciis arbitrii diuini in religione constituenda, et, in breui repetitione et adseruione doctrinae de S. Coena.

Quum igitur exteri nobis monstrassent theologum nostratem atque invidissent, vt periculum esset, ne nobis eriperetur, tum vero arctius eum Academia nostra complecti coepit, aulae procerum cura atque intelligentia: primo per eloquentiae professionem ei datam, deinde per locum inter professores theologos. Atque illud quidem munus quum per quatuordecim annos ornasset, quo non alius dignior veram eloquentiae vim commonstravit: quod vel scripta eius latina loquantur, quorum vera elegantia tulit, vt Germanorum Cicero diceretur: et Rhetorica eius, Initiis doctrinae solidioris subiecta: quumque primus plane inter nos exstiuisset verae ac virilis elegantiae auctor, a cuius conditione plurimas ineptias segregarit, plura idem ad eam pertinere ostenderit, quae neminem ante aduertissent: ne vernaculae quidem linguae aut inscius aut negligens, cuius simplicem puritatem grauius vindicarit, sibi et aliis cauere ab ineptiis corruptorum: eloquentiae ergo docendae prouinciam, coniunctam sustinens cum professione theologica, quasi duplici personae non sufficeret, sedulo administratam in manus indulgentissimi Principis sponte reddidit. In theologorum autem ordine ad primam vsque cathedram deinceps euectus est, fuitque primarii professoris nomen in eo non fortuiti ordinis velut fatale beneficium, sed verae ac propriae dignitatis insigne.

In hac tam laboriosa vita quum inde a secundo et vicesimo aetatis anno singulis diebus complures horas scholis habendis infumeret; tantum tamen temporis ei supererat, vt libris scribendis, et veterum scriptis edendis vacare posset. Tot ergo ingenii sui monumenta condidit, quibus doctrinae diuinae humanaeque complures partes illustrarentur, vt libri totidem ab aliis bene multis vix legendo cogniti fuerint. Tantum autem illius scripta plausum tulerunt, vt typographias Belgicas, Anglicas, Francicas eorum repetitio exerceret. Tam auide vero expetebatur eius opera, optimis auctoribus veterum impensa, vt librariis exteris satisfacere omnibus haudqua-

quaquam posset. Sed enim haec fere omnibus vulgo nota. Illud fortasse minus notum fuerit, quam facile, quam lubenter, quam feliciter operi vacaret: cuius rei testes habuit eos, quibus interdum in aliqua philologica indagazione adiutoribus utebatur. Ipse praedicare solitus erat diuinum quoddam adiumentum, quo sibi vel offerrentur in tempore, vel subicerentur, quibus ad tollendam aliquam in solidiori doctrina dubitationem, aut ad locum aliquem vel difficiliter interpretandum, vel obscurum illustrandum sibi maxime opus esset. Nam ad casum talia semper referenda quis dixerit? Esti non minimum ei adiumentum aderat sensus ille et destinatio vsus, ad quam, velut ad formulam aut normam sic omnia iam tum in legendo notata retulisset, vt ea per ipsas animi humani leges, quum vsus posceret, ex similitudine et consociatione ipsi tanquam instaurata obuerfarentur.

Sed habuit et alia laborum suorum vel adiumenta, vel adleuamenta, imprimis a matrimonio, quod septem et triginta annos natus inierat cum *Rabele Friderica Annalia Dathia*, Venerandi *Dathii* nostri sorore natu maiori, virgine ornatissima bonis omnibus sui sexus, quacum laeta ei concordia vigit. Quamquam parum diuturna haec ei felicitas fuit, vt quae primo vxoris puerperio abrupta finiretur. Eo diuturnior ei fuit laetitia e prole inde suscepta. Hanc ille filiam, *Sophiam Fridericam*, vtriusque parentis veram imaginem, adeo diligenter educauit, vt desiderium futuissimae coniugis indies ipsi magis minueretur, haberetque illam mature sociam vitae alteram. Hanc neque ad iustae doctrinae formulam plane fingi atque excoli, neque indoctam vtiq; torpere voluerat, maximeque ad obeunda munera, illi sexui adsignata et propria, adsuafaciendam curauerat. In quo certe vtrique maxime consultum fuit. Pater enim habebat, cui administratio rei domesticae rectissime committeretur. Filia autem, pro pietate in patrem indulgentem singulari, et ipsa habebat, in quo sibi maxime placeret, quum, et leuaret eius curas, et consuetudine sua atque adloquio eum exhilararet. Sed tamen neque se tali filia fatis beatum, neque illam patre theologo dignam existimabat, nisi etiam, quos tenellae adhuc informauerat sensus verae religionis, ii denique in pietatem aduersus Deum veram et non fucatam eualuisent: id quod summo cum gaudio factum animaduvertebat. Talem enim et sibimetipsi olim hereditatem vniam, sed longe amplissimam et omnis hereditatis instar, ab vtroque parente venisse saepenumero praedicabat, eoque nomine ipsi memoriam illorum sanctissimam esse, vt verbis non adfirmaret, lacrymae obortae disertius comprobabant. Felicem vero etiam nunc ERNESTIVM nostrum tali educatione et accepta et data. Datae fructum vberimum hunc quoque tulit, vt ut magnam partem infiscius, quod inter preces et amplexus filiae Deo carae ipse Deo carissimus exspirauit.

De

De hoc vitae exitu morboque praegresso, antequam plura dicantur, quibus parentibus illam debuerit, quibus institutis ac moribus compositam rexerit, paucis nunc exponendum videtur.

Natus est Tennstadii, in Thuringis, anno huius seculi septimo, d. IV. Aug. patre *Io. Christophoro*, S. Theol. Doctore, Ecclesiae Tennstadiensis antistite et ecclesiarum scholarumque ephoro, quae tum per dioecesem Thuringicam, Salzensem, Vifenensem et Sangerhufanam, Electoralis ditionis essent; matre *Catharina Sophia Hedena*, Arnstadiensi. Hi cum tum ipsi praeceptis et exemplo religionem ac mores docuerunt, imbueruntque sensu honestatis et erga Deum pietatis, tum, postquam acceperat a praeceptoribus domesticis rudimenta, scholae oppidanae tradiderunt, litteris latinis, graecis, hebraicisque erudiendum: in quibus illic, duce inprimis Itershagio, tantum profecit, ut patre defuncto, sedecim annos natus in scholam Portensem deduci posset, ubi per quatuor annos sub praeceptoribus, quos ante nominavi, treruit. Accepto ingenii cultu pleniori et amoeniori Vittembergam, solidioris ac robustioris doctrinae causa, profectus est, vnde, ditatus a praeceptoribus, quos et ipsos supra laudauimus, adiit hanc fortunae suae sedem, laudisque hoc domicilium certum, quod, utrum cum ornauerit magis, an ab eo magis ornatum atque illustratum fuerit, aliis arbitrandum relinquimus.

Sane plurimum illustrata est a Beato Lipsia nostra, (quid enim impedit, quo minus ex hoc genere addamus nonnulla, quae superius a vitae curricula angustiis non capiebantur?) per scripta eius potissimum theologica. De scholis enim theologiacis quis nescit nostratium aut dubitat? Institutionem quidem interpretis N. T. Albertus ille, theologus et litterator Lugduno-Batauus, quum inter suos *plane aureolam* dixisset, adeo non suffecerunt exempla illuc transmissa, ut continuo noua libelli editio a typographis Belgicis paranda esset: cuius formula quot non modo studiosis rei tantae, sed et magistris, quasi signum sustulit, viamque aperuit recte in ea versandi? Bibliothecam autem theologiacam in extrema Scotia lectitaram esse, litterae theologorum quorundam Edimburgensium ad nostrum datae docuerunt, quibus litteris adiunxissent nonnihil scriptorum suorum, quorum in Bibliotheca illa mentionem fieri vellent. Sed, ne vobis, *Ciues*, vestraeque scientiae, (nostis enim, ut de hoc genere tantum dicam, praeter Scotos aliquot, multos e Belgio, Dania et Suecia fuisse inter vos, qui ERNESTII audiendi causa huc venissent) ne igitur, scientiae vestrae, aut etiam ipsi laudibus viri beati, vbique personantibus, disfidere atque adeo derogare videamur, pluribus huiusmodi adferendis superfedemus.

In ipsa autem arte theologica *θεολογῆν* malebat, quam *τεχνολογῆν*, quum putaret, veritati et simplicitati maxime consulendum esse. Itaque in ipsa formula non vnus doctrinae plura immutauit, salua tamen causa atque sententia librorum sacrorum: qua re malam gratiam iniiit ab illis, qui systematici arbitrarii tenacitate orthodoxiam censerent; plebeculae similes, quae, canticionibus sacris in melius mutatis, cultum diuinum in deterius mutatum, ipsamque religionem detrimentum fecisse opinatur. Ipse contra lenis admodum et facilis, etiam aduersus illos erat, qui merito corrigendi ac notandi essent, diligenterque discernebat hominis personam et eius errores aut lapsus; nihil magis decere theologum ratus, quam seruare praeceptum librorum sacrorum, iubentium comiter et blande in viam reduci eos, qui ab illa aberrassent. Itaque facillime patiebatur diuersam tum theologiae tradendae, tum libros sacros interpretandi rationem teneri ab aliis, quamlibet in ipsum essent iniqui, vt pro heterodoxis falsisque haberent, quae a sua ratione desciscerent: maxime in vulgari adhuc plurium locorum interpretatione: e quibus perperam intellectus eiici atque incidi neruos argumentationis infirmae aegre passi, dogma ipsum conuelli ab eo calumniarentur, quod non effici ex vero sensu dicti argueret, vtur aliunde certum constare minime negatum ireret; immo aptiora subinde et firmiora praesidia monstraret. Hos, non tam Christi, quam suam gloriam spectantes, tamen, vt maius vitaretur malum, ferendos, neque irritandos esse statuebat. Vel iniuriis lacessitus, etiam a discipulis maleuolis et ingratis, eandem constantiam et animi acquitatem seruabat.

In docendi munere summam diligentiam, breuiter et perspicue omnia explanandi, nemini non probabat; saepe professus inter suos, numquam se, nisi commentatum, in cathedram escendere: in qua concionari, declamitare et vociferari non solerent, nisi qui aut sibi placerent, aut inopiam doctrinae studerent vtcumque velare. Illud etiam constanter seruabat, vt temporis angustias, hoc est, singulis binis semeltribus, se suasque lectiones coërceri non pateretur, immo auditoribus esse plane satisfaciendum pronuntiabat, et eorum, qui praelectiones et scholas properando absoluerent, aut bene docendo vel in dimidia earum parte subsistere cogentur, hos excusatius peccare dicebat. Nec vero eandem quasi cantilenam vsque ingerebat, sed, quae aut legisset interea, aut notasset subtilius, aut etiam rectius vidisset, lubenter et simpliciter ac benigne cum auditoribus communicabat.

In concionando quantam subtilitatem popularitate et grauitate temperatam, quantam et rerum et verborum copiam argumento cuique accommodatam, exseruerit, alienum sit pluribus commemorare. Illud dissimulare non licet, plus temporis eum in commentando absumpsisse, quam pro illis eloquentiae praesidiis, ab eo requiri videretur; in hoc etiam similis

magno

magno Clarkio, cui non suffecisse constat vnus hebdomadis spatium ad conficiendam vnā orationem ecclesiasticā; neque enim iuuari quemquam, edoceri, firmari, incitari, erigi noster existimabat recitandis iis, quae vnicuique a teneris innotuissent; facile vero effundi tales sermones, sed magno cum auditorum damno, qui officiorum non satis admonerentur, certe non edocerentur, quid esset verum in rebus summis, quid tenendum, et cur tenendum esset, qua via et ratione in religionis cognitione, adultis quidem hominibus digna, quibusque vitae institutis in virtutis christianae studio, vsuque continuo, proficiendum esset: quam quidem institutionem disciplinamque optime ex suo ipsius vsu promebat. Qui vnā eius concionem audisset, quin animo vteretur noster vere christiano planeque theologico, dubitare non poterat; quod idem omnis eius vita clamaret. Moribundis amicis lubenter aderat, eiusque adloquium in ea causa a nonnullis expectatum est. Stigmatius nominatim, quem et ipsum adiuuit moribundum, quum diu ante cum nostro de morte sermones aliquando seruisset, bonum factum! inquit: ergo tibi debeo, quae quum aliis, pro eo ac par erat, debere vellem, frustra anquisui. Viduis et orbis promptus auxilium praebat, ex occulto ille quidem, nec consilio tantum, sed re quoque et opera; etiam aduersus alios liberalis, quibus vere consuli beneficentia posse videretur. Sed praecipue, quotiescumque vsus publicus aliquid suae opis desideraret, liberalis erat, dando, commodando, laborando, defendendo. Amicis, qui calamitate aliqua oppressi non satis expeditas rationes haberent, vltro largam ferebat opem, in eoque sibi mirifice placebat. In se contra suosque minus liberalis, minus benignus et quasi adstrictior erat: sed enim sibi ipsi seuerus quum esset, erga suos videri non poterat malignior. Cognatos non de alieno, sed de suo sustentabat, non obtrudebat muneribus, aut ambitiosis precibus commoda iis expugnabat, sed non immerito excludi a muneribus nolebat. In disciplina domestica referebat ad honestatem, elegantiam, mediocritatem omnia, temperantiae et rite adhibendi temporis studio metiebatur omnium rerum ordinem. Ita factum est, vt in occupatissima vita tranquille tamen et hilariter ageret. Quae quidem res ei causa fuit et robur vitae longioris, quam in remissiori minusque frugali viuendi genere attingere datum non fuisset.

Defectus virium ante septuagesimum eius annum non magnopere comparuit. Etenim ad hoc vsque tempus omnia ille munera strenue obire, alacriter etiam incedere adhuc poterat, vt qui senilis infirmitatis genere laboraret prorsus nullo. Enimvero sensim ab eo termino vitae humanae, hoc est vigoris senilis, gradus eius retardari, incuruus ipse deinceps trahere magis pedes, quam proferre. Ille vero, difficultates et impedimenta omnia omnis generis superare solitus, etiam huic malo resistebat, non cedendo nec succumbendo, sed, quum ceteroqui non langueret, intendendo vires, et

deam-

deambulationibus excitando, eaque pertinacia certe hoc effecit, ut serius aliquanto ad prodeundum plane deficeret. Sed moram ingrauescenti malo iniecit etiam usus aquarum Lauchladiensium aliquoties repetitus; praefertim quum antea thermas quoque Carolinas semel iterumque adiisset. Enimvero vitam tantum illa remedia, non item virium robur, aut conservare, aut excitare poterunt. Ad scribendi etiam negotium tardior factus; manus enim, quas per omnem vitam tanto exercuerat magis, quanto pedes minus, idem diuersa de causa negabant. Interea tamen scholas habere, colloquiis tentare ministerii sacri candidatos pergebat, et id genus alia pro more facere. Sed paene obmutuisse, recordantibus oris eius facilitatem flumenque orationis pristinum, videbatur, memoria item omnique vi ingenii minus valere; idque magis, magisque adparebat. Ipse autem quum non posset non sibi conficius esse, quantopere a semetipso defcuiisset; tamen, quidquid residuum erat virium, id omne, Ecclesiae bonisque litteris inseruendo, consumere cupiebat; quoad lectulo non adfigeretur, agere tantum, quantum posset, destinabat, professorem ratus docentem mori debere. Ita utrimque vires plane confici; ut ad extremum, praeter id, quod mortale habuerat vir immortalis, propemodum nil eius restare videretur.

Felicem vero illum, qui, quum finis vitae adpropinquaret, neutra parte sui maiorem adhuc vigorem retinuerit! Quid enim factum esset animo tam sollerti, saluo quidem eius vigore, cui non pareret corpus infirmum torpore suo atque hebetudine? Quam dignum ERNESTIO corpus idem, quantumvis sanum, fuisset, quod non regeretur ab animo integro suiue prorsus compote? Sed nos quoque felices, quibus utcumque incolumis aliquamdiu mansit ille, licet vtraque sui parte vehementer adfectus! Profuit nobis idem etiam vltimo lustro mirum quantum publice priuatimque. Aderat nobis eius consilium, et viui fama splendorem huic Academiae seruabat: denique preces eius vtramque hanc ciuitatem Deo commendauere. Succurrebatur ei a discipulis, disciplina ERNESTIANA dignissimis, qui ore suo Vos, *Carissimi Cives*, ab illo doceri vellent. Intellectum est, mortui disciplinam fore saluam, quae viuo tam officiose conferuaretur. Sane aliquanto plus detrimenti passa esset Academia nostra, ERNESTIO iam ante hoc quinquennium, in prima oppreissione morbi, erepto, quia se minus a repentino et damno et dolore recipere potuisset. Ipsi quoque tam lentus ac mollis exitus singulari beneficio diuino contigit. Nam quum essent ei antea sensus acerrimi, ne malis et incommodis suis ipsius, domesticis, alienis magnopere adficeretur, isto torpore optime prouisum fuit. Ad extremum nihil omnino ei molestum erat, ne remedia quidem, corpus alias vel fatigantia vel torquentia. Et requiem talem a laboribus indefessae industriae Viro destinatae summa Dei benignitas, quae omnes dolores corporis ab eo prohibuisset, nec nisi senectutem ipsam ei morbum esse vellent:

vellet: ipse autem ne olim, ad Dei solium transiens, vllis animi doloribus perturbaretur, diligentissime per omnem vitam curarat. Quum denique paucis ante mortem hebdomadibus resolutionem sinistri lateris expertus esset; plane suarum rerum negligens totus in se conuertebatur. Illud quidem e sermonibus, subinde ab eo certe inchoatis, intelligebatur, de amicis mortuis eum, nominatim de coniuge, cogitare, quibuscum vna esse, in quorum habitationibus degere cuperet. Neque tamen, posteaquam ab illa resolutione sinistri lateris sollicitissima cura reuocantur medici, nulla spes restabat suis, fatum imminens ad tempus reuocatum iri. Sed pectus pituita oppletum timere iubebat, ne suffocatione aliqua omnis vis vitalis opprimeretur, ipseque extingueretur; id quod accidit. Quum enim die vndecimo mensis Septembris, ad sextam vsque horam matutinam, placide somnum capsisset, repente per insolitos rhonchos spiritum difficiliter ducere animaduertebatur. Tum vero periculum adesse videbatur ei, qui cubantis lectulo adsidebat. Acciti medici, quod diu timuissent, id plane euenisse, dicere, remediis nullum amplius locum esse, suffocatione et apoplexia paucis post horis animam exhalatum iri: isque vitae finis hora septima vespertina consequutus est, iis, qui aderant, haec sancta anima! pie adclamantibus.

Huius tanti viri reliquias quum Vos, *Carissimi Ciues*, in pompa funebri tanta frequentia talique officio prosequuti sitis, ne memoriam eius vniquam elabi ex animis vestris patiamini, hortatione apud Vos non magnopere opus esse intelligimus. Et sunt nobis adhuc alia huius in illum amoris vestri, atque etiam pietatis, pignora, quae nos plane iubent sperare, fore, vt, quemadmodum per ingenii sui monumenta perpetuo victurus sit ERNESTIVS noster, ita, per Vos quoque, vestramque illius virtutum aemulationem, nobis quodammodo restitutus, nunc, olim, videri queat.

P. P. Dom. **xxxi** p. Trinit. A. C. **MDCCCLXXXI**

L I P S I A E

EX OFFICINA KLAVEARTHIA

Zb 730. FK



v. 778





MEMORIA
 VIRI
 MAGNIFICI SVMME REVERENDI
 D. IOANNIS AVGVSTI
 ERNESTI

DOMINI HEREDITARII IN KAHNSDORF
 ET BIERSTEN

S. THEOL. PROF. PRIMARII CAPITVLARIS MISNENSIS
 CONSISTORII LIPS. ADSESSORIS ALVMNOR. ELECTORAL
 EPHORI ACADEMIAE DECEMVIRI NATIONIS MISN. ET
 COLLEGII CONCION. LVNARIS SENIORIS SOCIETATIS
 LITTER. IABLONOVIANAE PRAESIDIS ET SOCIET
 SCIENT. GOTTINGENSIS SODALIS
 RELL

COMMENDATA

AB

R E C T O R E
 VNIVERSITATIS LITTERARVM
 LIPSIENSIS

